

ta. [293] Ab Orpheo theologia universa, a Thalete mathematica, a Democrito physica, a Pythagora et tres hae et praeterea ethica. Haec communis est sententia.

Huic traditioni obstant duo gravissima testimonia. Primum
 5 est Asclepii, Hermetis Trismegisti auditoris, qui illos omnes
 temporibus superat et cum Mose antiquitate certat. Is Graecos
 sapientiam suis temporibus tractasse affirmat. Sic enim scribit
 libello suo ad Ammonem regem:² *Graeci, o rex, sermones habent*
inanes demonstrationum efficaces tamen. Et haec est Graecorum philo-
 10 *sophia sermonum strepitus.* Fuit autem praeceptor huius Trismegi-
 stus^{xi} iisdem cum Mose temporibus, siquidem ut est in Chronico
 Eusebii, Moses nascitur anno 2374. mundi, moritur autem anno
 2492. Thatus autem Trismegisti filius floret circa annum 2476.
 annis scilicet sexdecim ante Mosis obitum. Quod si verum est,
 15 constat iam tum apud Graecos doctrinas ac philosophiam agita-
 tas. Secundum testimonium est Philonis, libro De vita Mosis 1.
 narrat enim ibi, ad Mosem instituendum doctores et Aegyptios
 et Graecos magnis praemiis a regis filia, quae eum susceperat,
 accersitos:³ *Doctores vero statim aliunde alii adfuerunt. Siquidem*
 20 *a vicinis regionibus ac Aegypti praefecturis iussi, illi vero e Graecia*
magnis muneribus accersiti. Ante Mosem autem natum celebres
 fuerant Graeci Prometheus atque Atlas fratres ac forte alii circa
 annos mundi 2334, hic quidem astrologus insignis, ille naturae
 rerum peritus. Hi autem aliquot seculis Orpheum Lebethrium
 25 sine dubio praecesserunt, quippe qui Oeagri filius fuerit. Oea-
 ger autem quintus fuit in Atlantis^{xii} stirpe fuitque Orpheus Lini
 discipulus, Linus autem hic κοσμογονίαν scripsit. Erant ergo

² Ἕλληγες γάρ, ὦ βασιλεῦ, λόγους ἔχουσι κενούς ἀποδείξεων ἐνεργητικούς [ἐνεργητικούς δέ], καὶ αὕτη ἐστὶν Ἑλλήνων φιλοσοφία, λόγων ψόφος. [CORP. HERM. Ad Ammon. reg. XVI, 2.10 -12]

³ διδάσκαλοι δ' εὐθύς ἀλλαχόθεν ἄλλοι παρήσαν, οἱ μὲν ἀπὸ τῶν πλησιοχώρων, καὶ τῶν κατ' Αἴγυπτον νομῶν αὐτοκέλευστοι, οἱ δ' ἀπὸ τῆς Ἑλλάδος ἐπὶ μεγάλας δωρεαῖς μεταπεμφθέντες. [PH, Mos 1.21.1-3]

^{xi} Corr. ex Trimegistus

^{xii} Corr. ex Atlandis